



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Patrocinium Defvntorvm**

**Hautin, Jacques**

**Leodii, M.DC.LXV.**

Articulus III. De aliis eleëmoosynis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79679](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79679)

rum ararium dici potest, constituere, tam  
 magnâ laude pietatis, quàm multa in egen-  
 tes animas ex illo bona redûndant. Cùm  
 enim pauperum illa araria, quæ montes  
 pietatis appellamus, in magnâ sint famâ,  
 cur non immortalis hic mereatur, ex quo  
 suffragiorum, ut Ecclesiæ loqui placuit, ve-  
 lutiaquarum arcanis flammis extinguendis  
 derivantur perennitates; levissimâ enim  
 stipe, quam pro se quisque destinato con-  
 fert, ea sacrificiorum multitudo procura-  
 tur, ut morientibus infinita propemodum  
 suffragia comparentur: Idem augendæ  
 huic pietati secundas quasque ferias ha-  
 bent, propositâ palam divinissimâ Eucharis-  
 tiâ, brevique ad confluentes sermone,  
 quam exercitationem, ut esset magis fru-  
 ctifera, summi Pontificis indulgentiâ or-  
 nandam censuerunt.

*In Belgio.* Quam pietatis attem nostri in Gallo-  
 belgica imitati, ut de cæteris urbibus ta-  
 ceam, Insulis quatuor in parœciis gazophyl-  
 lacia posuere, ad stipendium Missarum pro  
 egenis in istâ civitate mortuis faciendarum:  
 eo successu ut in D. Stephani subinde uni-  
 cum per mensem viginti floreni in gazo-  
 phylacium conjiciantur: aliâ ut plurimum  
 decem, aut duodecim, aut octodecim. Unde  
 non mediocris sacrificiorum numerus  
 ad altare Privilegiatum singulis annis in so-  
 latium pauperum vitâ functorum impen-  
 ditur. Locus hic quoque fuisset de Anthea  
 Lucensi fæminâ in pios manes benignissima  
 dicere, quippe quæ pauperum hospitales  
 domos, ac Virginum Collegia iis expiandis  
 ex conquista undique stipe ædificavit, sed  
 rem aliâs exposui, nec volo actum agere.  
 Et verò hæc excitando ad hujusmodi ararii  
 inventionem pio Lectori sufficiunt.

### ARTICULUS III.

#### *De alijs eleëmofynis.*

902. *Maria Van Lille pia industria.* **E**XCELLUIT in hoc genere pietatis  
 in pios manes exhibitæ Maria Van  
 Lille, Herentaliæ, quod oppidum est An-  
 tuerpriensis diœcesis, Beguina. Hæc enim  
 cœterum instituit Beguinarum, quæ præci-  
 puo illos juvandi studio, quidquid operis  
 facerent, in usum pauperum primùm,  
 tum in levamen Purgatorii conferebant.  
 Itaque coemptam ab ipsa lanam certatim  
 nere, ex eâ pannos texi curare, eos diven-  
 dere, pretium ex iis confectum egentibus  
 largiri, aut ipsos in eorum vestes aptare  
 solemne illis fuit. Qui sanctus mos, ne cum  
 Mariâ perirer, effecit ipsa quâ hortamen-  
 tis, quâ providentiâ singulari, ut ab ipsius

obitu continuaretur. Utinam ad alias pias  
 fœminas extendatur! Quàm multas cœ-  
 lestium vestium textrices habebimus.

903. *Eligendâ genus eleëmofynæ quod vitii defuncti repugnet.*  
 Discimus quoque ex S. Birgittæ revela-  
 tionibus non unam artem stipsis in pios ma-  
 nes cum præcipuo fructu distribuendæ:  
 nam præter diversa Missarum genera, quæ  
 fieri pro animâ Ulphonis conjugis sui iussit,  
 ipse ei spectandum se obiciens, rogavit, ut  
 argenteam supellectilem, equosque ipsos,  
 quibus immodicè delectatus fuerat, in ex-  
 piationem ejus voluptatis, pauperum in  
 usum divenderet. Item ut calices paupe-  
 ribus templis ad sacrificiî usum confici cu-  
 raret: hoc enim eleëmofynæ genus Numi-  
 ni esse antiquissimum. Extat etiam hæc  
 Angeli ibidem ad ipsam allocutio de par-  
 ticulari juvandi quamdam viri nobilis ani-  
 mam industria. Sicut, inquit Angelus, tu  
 audisti, quod anima illius clamavit quin-  
 quies væ; ideò dico quinque consolatoria  
 sibi. Primùm væ fuit, quod Deum modi-  
 cum dilexit, ideò ut ab isto liberetur, den-  
 tur pro ejus anima triginta calices, in qui-  
 bus Sanguis Dei offeratur, & ipse Deus  
 magis honoretur. Secundùm væ fuit,  
 quod non timuit Deum, ideò pro isto ab-  
 solvendo elegantur triginta Sacerdotes de-  
 voti iudicio hominum, quorum quilibet  
 dicat triginta Missas, quando possunt, no-  
 vem de Martyribus, novem de Confesso-  
 ribus, novem de omnibus Sanctis, viginti  
 octo de Angelis, viginti novem de S. Ma-  
 ria: trigesimam de S. Trinitate, & omnes  
 intentè orent pro animâ istius, ut ira Dei  
 mitigetur, & justitia ejus ad misericordiam  
 flectatur. Tertium væ fuit pro superbia  
 ejus, & cupiditate; pro isto abolendo reci-  
 piantur triginta pauperes, quorum pedes  
 laventur cum humilitate, & dentur eis ci-  
 baria, & pecunia, vestesque quibus confo-  
 lentur, quorum quilibet, tam qui lavat,  
 quàm qui lavantur, rogent Deum humili-  
 ter, ut propter humilitatem suam, & ama-  
 ram passionem suam, dimittat animæ istius  
 cupiditatem, & superbiam, quam commi-  
 sit. Quartum væ fuit superbia carnis suæ:  
 ideò quicumque daret unam virginem in  
 monasterium, & unam viduam similiter,  
 unamque puellam in conjugium, verùm  
 dando cum eis tantum de bonis, unde suf-  
 ficienter ad victum, & vestitum subsistant,  
 tunc peccatum animæ istius, quod in carne  
 commiserat, dimittet Deus, quia hæc sunt  
 tres vitæ, quas Deus in mundo stare iussit,  
 & elegit. Hæc Angelus Revel. S. Birg. 1. 4. c. 9.  
 Ex quibus, & ex proximè superio-  
 ribus, intelligimus, id genus eleëmofynæ  
 efficax esse ad animarum expiationem,  
 quod earum noxis aliquatenus repugnat, id  
 quod

quod & alibi apud ipsam Birgittam, significatur: ut & hic ratum sit contraria contrariis curari.

904.  
*Alere Sacerdotes in defunctorum solatium.*

Insignem aliam artem eisdem manes adjuvandi exemplo suo docuit Andreas Simonis è Soc. Jesu Laicus. Hic enim, ut narrat Joannes Rho de charitate in defunctos exemplo nostrorum quinto, propriis erga pios manes officiis cum sibi non satisfaceret, quamquam dives alioqui bonorum operum, omnia in illos conferret, Sacerdotes plures pauperes alebat, quorum sacrificiis plures juvaret. Id ut conficere posset, emendicare non dubitabat. Cum enim in Domo probationis ad D. Andream in Urbe janitorem ageret, flosculos diligentissimè educabat, quos elegantet evinctos in fasciculos adeuntibus principibus viris, & Cardinalibus gratà quadam & religiosa simplicitate offerebat, ut Sacerdotibus alendis stipem auferret, nec illi cunctanter dabant, conscii operis atque pietatis. Ita que bonus senex caducis ac brevis ævi flosculis hortulum spolians, honestissimo commercio cœlum æternis floribus conferebat. Et effloruit magnis gaudiis destinata homini felicitas. nam emarcescente jam vitâ circumstitère illam agmina beatarum mentium, & priusquam hinc abiret auram afflarunt æternam.

905.  
*Mittere scedulas mortis indices.*

Celebris est per universum Belgium, ac piissima consuetudo, scedulis vel scriptis, vel excusis nunciandi Religiosorum, ac Religiosarum mortem. Cum primùm accidit, mittuntur illæ latè per urbium, ac pagorum adjacentium, aut etiam remotiora Cœnobîa, & vel in capitulo, ubi id moris est, leguntur, recitaturque communiter psalmus De profundis; vel aliàs in sacrario, ubi se Sacerdotes ad sacrificium acciunt, collocantur, ut oculos, animosque eorum, qui sacris operaturi, vel servituri sunt, feriant, excitentque ad mortuorum in sacrificio solatium procurandum. Qui mos dignissimus certè est, qui ubique Gentium catholicarum vigeat, præsertim apud eos qui de aliis docendo, concionando, expiando benè solent variis in locis mèreri.

906.  
*Varia genera spiritalium elemos.*

Sunt & aliæ pietatis artes colligendis nostris egentibus stipem. Scio qui donatiâ pecuniâ in cantilinas gallicas ad ciendam in eos misericordiam compositas, per sacra profanaque gynæcæa gratis distribuerunt. Scio qui grandiores chartas variis ad eandem excitandam stimulis impressas ad sacrarum ædium, seu civicarum, seu rusticarum valvas interiores, ad ostia, vel parietes domiciliorum, ad januas cœnobiorum appendendas coemère, & gratis magno numero, dispertière. Scio qui laminas

imaginem Purgatorii, sacræque synaxeos præferentes incidi curavère, & aliquot iconum millia ex eâ expressarum per varias, variarumque civitatum domos, ac præcipue per officinas, ac tabernas, scholasque publicè affixère, ad eorundem piorum manuum memoriam reficendam. Novimus & qui supplices scedulas ad publicos postes civitatum collocavère, ut civium preces pro mortuis ad Valencenas obsessas patriæ hujus militibus exorarent. Novimus & qui Missas publicas ac solemnes iisdem collatiâ pecuniâ procuravère, quam ab incolis certarum civitatis curiarum mendicaverant. Et ecce nunc Bruxellis scribitur, solemnes exequias anno 1659. in gratiam militum postremis in bellis Belgii vitâ defunctorum in templo Soc. Jesu celebrari cœptas, hoc ipso anno 1661. opera R. P. Fresnedæ, qui opus cœpit, longè ampliori apparatu, concursu ac pietate 6. Novembris die, qui in Dominicam incidebat, celebratas esse, usque aded, ut tridui spatium in eodem templo ad quatuordecim millia sacris epulis refecti sint, invitante scilicet indulgentiâ Pontificiâ, ac plenariâ, cum facultate è Purgatorio animam liberandi, utraq; per excellentissimum D. Marchionem de Caracena Belgii Governatorem impetratâ: qui & pompam sua ac nobilium sibi adstantium catervâ tertio die ornavit: Quin eodem die Reverendissimus D. Archiepiscopus Mechliniensis ad grâam fecit, & idem Fresneda de piis manibus egregiè ut solet, hispanicè dixit. Insuper eodem triduo variis in templis ejusdem Patris operâ facta sunt quingenta sacrificia, & jam perpetuus census in anniversariam hujusmodi celebritatem procuratus est plaudente cœlo & Purgatorio.

Denique audi puellarum Insulentium <sup>907.</sup> non puerile factum. Nuper anno 1656. *Puellarum ars.* tempore obsidionis Valencenensis, dum civitas Insulensis instituendis pro liberandâ urbe precibus tota conspirat, puerilis ætas non defuit. In plateâ vulgo Ægrorum coram ædibus cujusdam mercatoris, puellulæ septem, octo, aut decem annorum, excitato oratoriolo Litanias decantabant præcinente studioso paupere figurista. Earum aliqua à transeuntibus stipem emendicabat ad subsidium militum in obsidione vitâ defunctorum. Forte illac transit urbi Præfectus, qui rogatus stipem, pataconem in scutellam iniecit. Finitis precibus inita cõsultatio quid eâ pecunia fieret, placuitque omnibus Sacra pro militibus defunctis facièda curare, unique è maioribus ea cura demaradata est. posterâ die, aliisque sequentibus sex pro defunctis militibus apud Religiosas

D. Francisci, quas pauperes Clarissas vocant, fieri iussit, quibus puellulæ interfuerunt, & cereos quatuor coram variis B. V. iconibus accenderunt: quos non dubium etiam piis manibus illuxisse.

908.  
Omnes  
suis dare  
satisfactio-  
nes.

Ad extremum nobilissimum, liberalissimumque eleemosynæ genus est, piis manibus suas omnes satisfactiones addicere. De quo diximus quidem superius non uno loco: sed in auctarium recentissimum hic ejus liberalitatis exemplum damus ex literis annuis Coll. Monasteriensis in Westphalia anni 1656. ubi sic scribitur. Ereptus nobis est R. P. Joannes Fabricius. Inter hujus piæ exercitationes, animarum è flammis piacularibus eripiendarum insigne studium eminebat: cujus tria hæc dedit documenta. Primum non ipse modò, quoties licuisset, atratus operabatur sacris: sed pluribus etiam, idem ut agerent, persuadebat: quin & superiorum consensu diem unum ab universis Collegii Patribus obtinuerat, quo pariter omnes pro vitâ functis funebri apparatu litarent. Dein ad eius cubiculi fores auditi noctu quandoque pulsus, quos animarum opem à se flagitantium fuisse confessus est. Ad extremum conferenda sibi à morte per totam Societatem suffragia aliis defunctis legavit. Demum cum se visitandis peste infectis devovisset, & ipse eâ extinctus est: nempe, ut in patrium cœlum sequeretur, quos eò præmiserat.

## APPENDIX.

*Debitorum solutio, piis manibus utilis.*

909.  
Expli-  
cat.

PROTULIMUS superius binas Eminentiissimi Cardinalis Lugo rationes, cur mora dissolvendi nomina defunctorum iis obesse naturâ suâ possit. Prior, quia iis non dissolutis Deus non tam propensè audiat pia pro defunctis vota, propterea quòd interea eorum causâ creditores patiantur. Posterior, quòd æquum sit, ut quamdiu parti læsæ non fit satis, reus & gravius & diutius puniatur. licet autem vis earum rationum infringi possit, ac nos superius infringere conati sumus; tamen illius sententiæ probabilitas non propterea perit, imò historiis iam promendis confirmatur.

910.  
Eques  
mortuus  
vult de-  
bita sua  
solvî.

Primum ex Cantipratano profero, qui l. 2. c. 53. ita scribit. Huius rei exempla sunt plurima, quorum unum familiarissimum novi, narrante enim fratre Ordinis Prædicatorum his verbis audivi. Pater, ait, meus contra commilitonem suum divitem, & potentem inimicitias exercens

fabrum habuit in vicinia, qui equos suos, & eorum, qui secumerant, multo tempore sufferrabat (dicere voluit, soleas ferreas, equis inducebat) post hæc faber cecidit in languorem, & expensas per oblivionem, aut incuriam nullas solvit. Mortuus est autem post annos ferè triginta pater meus, & apparuit manifestè per diem cuidam fidelissimo servo suo, gerens in manibus flammantia ferrameta equorum; dicens, Dicas uxori meæ, ut solvat tali homini tale Debitum, quo sic vexor: post hoc non multi dies effluerant, cum ecce servus ille cum amarissimis lacrymis venit ad me, & quid vidisset exposuit. Collacrymans itaque servo, ambo ad matrem ingredimur, audit illa quid factum sit, addit & lacrymas, accessit ad fabrum diutina tabe penè jam consumptum; quærit si pater meus moriens ei in aliquo tenebatur, tunc ille cum lacrymis suspirans dixit, heu carissima Domina! etiam, ferè in marchâ una; sed affectus longo tædio in monendo, postmodum incidi in magnum languorem, & sic filii usque modo; nec, mora mater solvit pauperi integrum debitum, & mox soluto isto cum aliis debitis multis, ut mihi secretò narravit, ei pater meus in hunc modum apparuit. Videbatur ei videre illum in balneo à summo capitis usque ad ima pedum quasi recte longâ totaliter involutum, cui ille dixit, apprehende funem, & solve me: mox illa funis initium accipiens paulatim ligatum exsolvit, & statim ei congratulans, & gratias agens, sic, inquit, prius fueram obligatus in pœna quoad usque solveres, quo tenebar. Ita Cantipratanus.

Anno 1638. feb. 4. decessit in Hispaniâ P. Augustinus de Espinosa, dictus *panitens* ab asperitate vitæ, hujus pietas in pios manes ex precibus, sacrificiis, gravissimisque pœnis eorum gratiâ susceptis luculenter emicuit. Quare illis subinde concedebat Deus, ut ipsimet sensibilem in modum illi sese commendarent. Inter ceteros quispiam spectabilem illi se objiciens, quæsit, an ab eo agnosceretur. Affirmavit utique se paucis ante diebus exomologesim ejus excepisse, cui non diu superstes fuerit. Ita habet, ait defunctus; *Porrò hæc ad te veni, ut Deum mihi propities, simulque aliqua exequare ad meam liberationem necessaria. Quare rogo te, ut me tantisper comitere.* Augustinus ad hæc, *Atqui, ait, facultate Præsidis mei opus est, ut desiderio tuo obsequar, præstolare hic in cubiculo, dum redeam.* It ergo Augustinus, & principio quidem reluctantem reperit Præsidem, tum obtinet, ut solus comitetur.

Interea